POMPEI MVTI
I. V. D.

In diem ſanctum Pentecoſtes.

ORATIO

AD SANCTISSIMVM D. N.

PAVLVM V.

PONT. MAX.

Habita in Templo S. Petri die X. Iunij 1612.



ROMÆ, Ex Typographia Iacobi Maſcardi. M.DCXII.



DE SANCTI SPIRITVS MISSIONE

In diem ſanctum Pentecoſtes.

AD PAVLVM V. PONT. MAX.





OVA hæc fulgentis, tonantis, fulminantisq. cœli ſpecies, ſi quem ad ſui contuitum contemplationemq. non trahit, hunc ego, cœlum qui tueatur, vnquam, indignum eſſe exiſtimo Pater Beatiſſime. Me certè admirabilis hæc ſpecies planè rapit, quippe cui perſuaſum eſt fragorem hunc vocem eſſe cœleſtem, linguasq. illas Eccleſiæ verticibus inſidentes non magis quid de Deo ab Apoſtolis hodierni diei munere, quàm quid de ipſa hodierni muneris magnitudine dicendum à nobis ſit, loquaci taciturnitate demonſtrare. Et verò quem

non rapiat in admirationem ſui portentoſa hæc ; & naturæ planè incognita tempeſtas ? iraſci nos cœlum dicimus ſi fortè frequenti nube contracta remurmurare primò, micare poſt paulò, iaculari demum conſpicemur. Iure ſanè, nam & hilaritas cœli quædam, eſt ipſa eius ſerenitas, quæ nubilo tollitur, & iurgium irati hominis tonitru imitatur, quod ne vanum putetur, & inerme horrendi poſt ſonum ignes telis armati exitialibus efficiunt. Nunc autem qualis eſt cœli, tonantis illius quidem, fulminantiſq. cum fulgetro,ſed minimè irati facies,immò nunc maximè benefici ? Quæ enim beneficentia maior, quàm eum nobis Spiritum ſubmittere, quem diuinarum omnium opum largitorem,ille nobis tandem effudit Deus, qui nunquam ſe,niſi benè faciendo Deum eſſe exiſtimauit? Verùm ſingula,ſi placet,beneficæ huius tempeſtatis indicia contemplemur. Primùm è cœlo ſonus;quod meo quidem iudicio non fruſtra fit. Nam quorſum attinet cœlum illud quo per tacitiſſimas vertigines labente innumerabilia ad nos beneficia defluunt, nunc tandem neſcio qua ratione contactum, velle ſuæ beneficentiæ præconem habere nouum hunc, qui exauditur è cœlo ſonum, hoc eſt planè ſe ipſum ? vt mihi quidem ſuſpicionem faciat, ſonum hunc fragorem eſſe reſerati eas ad opes mortalibus profundẽdas cœli, quibus quoniam ſuas non habent, vt minores aliæ, per quas emittantur, fores, noua aperienda fuerint, non ſine inuſitato cœli plangore ærarij cœleſtis clauſtra. Niſi fortè illud ſatius fuerit opinari, cœlitum hunc eſſe plauſum, qui peracto iam extremo noſtræ reparationis actu, auctori Deo, actori Dei filio, à magnis cœli ciuibus, frequentiſſimo beatorum theatro congeminetur in cœlo. Quod vt quale ſit appareat Pater Beatiſſime. Sic ego exiſtimo, vt omnium fabularum, quamuis multiplici perſonarum, actuumq. varietate diſtinctarum, eò articuli omnes, & quidam quaſi gradus diriguntur, quò eius ſpectare exitum auctor voluit ; ità reparationis noſtræ admirabile illud planè ſpectaculum, quod ipſa cœli lumina dùm ederetur, inſolita admiratione ſuſpendit ; hunc ſpectaſſe

ſemper

ſemper finem: cœleſtis flammæ in hominum animis, vel extinctæ iam, vel ſopitæ accenſionem, quam hodierna luce perfectam eſſe, cùm ignis hic declaret; mirum non eſt ſi quaſi poſtremo actu concluſo, plauſum frequenter de cœlo ſit. Neque verò dubito, quin gratiſſimus hic magno actori Dei filio plauſus acciderit, qui enim accendi ignem hunc tantis ſtudijs concupiuit, tantoq. labore olim contendit, inflammatum eum iam fœliciter adeo vt, quia eius vim humani pectoris anguſtiæ non capiunt; erumpat foras, non poteſt non ſumma cum voluptate ſpectare. Quamquam mihi quidem cœleſtis hic ſonus(ſi quid ex veterum ſapientium licèt placitis decerpere) diuinarum cantus, & admodulatio Syrenum videri conſueuit, ita enim mecum ratiocinari ſoleo, ſi nauigationis inſtar turbulenta hæc habet vita, quam degimus, portus certè aliquis, ne ad infinitum periculum procreati, videamur, feſſis, vt ille ait, maris, & viarum aperiendus eſt. Nunc verò quia portum non niſi cœleſte domicilium aperire poteſt animis cœleſti origine propagatis; faciendum fuit, vt ſi feſto cum ſonitu, lætiſq. vocibus, ac ſymphoniacorum cantu inuehentes ex alto, naues recipiuntur, ſingularis aliquis paratus eſſet in cœlo concentus ijs qui ſe in ſinum fœlicitatis ex hac periculoſa nauigatione recipiunt; quod quidē quia hodierna primùm luce, afflante, nunc tandem ſecunda diuini ſpiritus aura, aſſequi licet; inuſitato cantu quaſi nouo inuitamento beatitatis littora ſonuerunt. Sed nos nimis diu cœleſtis hic tenuit concentus, quem vtinam qualis in illa beatæ vitæ ora editur, percipere mortalibus liceret, nulla profectò nos pericula, nulli ſcopuli, nullæ fluctuum immanitates, quin eò, vnde erumpit, velis, remiſq. contenderemus retinere poſſent. Nunc vel fractas eius emorientis in tanta ſpatiorum longinquitate reliquias & in ſoni murmur vehementioris deformatas hac ipſa ſenſus hebetudine colligere nequaquam piguit. Hactenus ergò de ſono, nàm ſi eò vnde exorſi ſumus redeundum eſt, quænam eſt obſecro, vt initio dicebam, cœli hæc non tonantis modò, ſed fulgentis,

fulminantiſq. facies ? tonantis audiuimus, fulgentis, fulminantisq. paucis, ſi placet, videamus. Fulgurat illud quidem: ignes è cœlo frequentes emicant; ſed ſine noxa, indices ſunt inſequentis non teli,ſed medicinæ, neque noxæ prælucent, ſed beneficio. Et verò decuit tantum bonum non ſine noua cœleſtium ignium pompa mortalibus deferri. Faces olim dum nouæ conciliarentur nuptiæ altè prælatas in veterum monumentis memini me olim legere. O incredibilem ſiue humanæ dignitatis,ſiue demiſſionis diuinæ modum. Auſim quouis pignore contendere, Pater Beatiſſime, flammas haſce comparatas eſſe diuinitus, quibus inter Deum, ſponſamq. eius Eccleſiam conciliatæ ſunt nuptiæ, quas equidem in humanæ linguæ modum, formamq. emicuiſſe non miror; quæ enim his nuptijs propagatur ſoboles ex auditu fidei procreanda erat, quod quia inania, & emortua verba nunquam efficient, ignea actuoſa, medullas, ſenſusq. intimos penetrantia, hoc eſt planè diuina diuinitus efformantur. Et hæc ipſa tela ſunt, hæc fulmina, vt planè amore fulminare hodierna luce cœlum videatur. Etenim ſi imperioſus eſt amor, ſi ſuaui quadam tyrannide violentus,ſi ſentiuntur eius vulnera, & placent tamen, non video quibus artibus, quave pompa fulgere ac fulminare aptius hodierna luce potuerit, quàm & igne, & eo igne, qui lucere primum poſſet, vrere neſciret, vulnus deinde, vel nullum infligeret, vel certè ſalutare. Argumento ſit quod clauſa olim ora, atque præmortua adeò vitaliter animauit,vt alijs etiam ſalutari voce,quaſi vitæ afflatu vitam, atque animam reſtituerint. Quæ ſi ita ſunt, vt dixi, Pater Beatiſſime, facile illud colligam, nouum tandem (quod ab antiquiſſimis proditum oraculis olim ſcimus) nouum inquam tandem cœlum hodierna luce perfectum eſſe diuinitus. Cur enim nouum cœlum illud eſſe negem, quod neque ſi vehementius inſonuerit, iratum, neque ſi fulguret minax, neque demum hoſtile ſi fulminet, poſſis iure dicere? Vtinam verò id quod altera eiuſdem oraculi vox prænunciauit in nos vſquequaque conueniat, vt ad noui

huius